



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Resp. Deus voluntate absoluta & efficaci voluit gloriam prædestinaris omnibus, ratione priùs, quam eos prædestinavit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)



non alia necessitas habetur, quam consequentia, sive non aliud habetur, quam quod consequens non possit non esse verum, supposito quod antecedens verum sit, quam quod consequens non possit esse falsum in sensu composito antecedentis, quamvis possit esse in ejus sensu diviso; & ita minimè sit necessarium, quia sensus diviso verè est in potestate voluntatis, cujus actus à Deo prædefinitus est sic, ut possit potentia verè reducibilis, licet certissimè non reducenda, facere ut non fuerit prædefinitus, non quidem simpliciter, quod ad salvandam libertatem non requiritur, sed quod sufficit, secundum quid modo jam explicato.

*Obj. 3.* Idem iudicium esto de omnibus actibus salutaribus, ac de actibus pœnitentiæ. Atqui Deus non prædefinit, imò nec prædefinire potuit actus pœnitentiæ prædestinatorum. Ergo, &c. N. min. *Probabilis.* Si Deus prædefinit actus pœnitentiæ prædestinatorum, prædefinit etiam eorum peccata: nam nisi peccent, actus pœnitentiæ exercere non possunt; cum pœnitentiæ peccatum essentialiter supponat. Impium conf. Ergo, &c. R. neg. seq. maj. Quamvis enim pœnitentiæ locum habere non possit, nisi post admissum peccatum, ad prædefiniendos actus pœnitentiæ v. g. Petri, nullatenus necesse fuit, ut peccatum ejus prædefiniretur, sed satis fuit ut Deus vellet illud permittere. Ad hoc enim ut Deus prædefiniret actus pœnitentiæ Petri, satis fuit, ut ipse vellet, quod ex parte ipsius requirebatur ad hoc, ut Petrus actus pœnitentiæ exerceret. Ex parte autem Dei requirebatur tantum, ut vellet ejus peccatum permittere, & postea eum movere & excitare, quomodo ei futurum erat congruum, ut à peccato resurgeret, & pro peccato satisficeret. Supposita enim ex parte Dei voluntate permittendi peccatum Petri, & postea eum movendi & excitandi, quomodo ei futurum erat congruum, ut à peccato resurgeret, & pro peccato satisficeret, certò & infallibiliter futurum erat, ut Petrus ex libera voluntatis determinatione peccaret, & postea de peccato doleret, illudque detestaretur, & alia omnia, quæ pro peccatorum satisfactione pœnitentes solent facere, faceret. Ad hoc igitur ut actus pœnitentiæ Petri prædefinirentur à Deo, nullatenus necesse fuit, ut ab eo prædefiniretur ipsum Petri peccatum, quod, supposita ex parte Dei sola illud permittendi voluntate, ex solius voluntatis Petri vitio certò & infallibiliter futurum erat.

Sed ad pleniorè præsentis difficultatis resolutionem, observa ex doctrina hæcenus tradita, 1. Deus per scientiam futuribilium præcivit, quid Petrus facturus esset sub tali serie rerum & gratiarum, hoc est, quod peccaturus esset, deinde à peccato resurrecturus, & in his determinatè & in particulari actibus pœnitentiæ aliarumque virtutum usque in finem perseveraturus, atque ita tot gloriæ gradus promeriturus. 2. Ex voluntate absoluta & efficaci, ut Petrus tot consequeretur gradus gloriæ, pro eo approbavit scientiam suam quæ talis rerum & gratiarum serie prænotionem, & approbando disposuit & præparavit ei in mente sua talem mediorum salutis ordinem. 3. Sic approbando pro Petro scientiam suam quæ prænotionem talis rerum & gratiarum serie, voluit & elegit ei hos determinatè & in particulari actus pietatis, & inter illos hos pœnitentiæ actus, ut à se illi donandos per hæc determinatè & in particulari auxilia gratiæ congrua, post admissum ab illo peccatum, Deo non impediente lapsum ejus per alia anteriora congrua auxilia, sed solum dante ad vitandum lapsum merè idonea ex intentione sincera ut vitetur, & simul efficaci, ut lapsu non vitato, hi specie & numero actus à Petro occasione peccati exercentur, donante Deo, Vides actus pœnitentiæ Petri à Deo prædefinitos esse, non prædefinito ejus peccato, sed è contra sincerè nolitò à Deo, licet non efficaciter, & sic permisso. Quod laudabiliter facere potuit Deus, tum quia non tenetur impedire peccata nostra, sed potest nos in nostro relinquere arbitrio, ut eo rectè utamur vel malè, prout volumus; tum ad ostensionem divitiarum misericordiæ suæ, & in laudem gloriæ gratiæ

suæ. Quibus verbis occurritur difficultati ulteriori: nam quærenti quare Deus pro Petro elegerit hanc rerum & gratiarum seriem, in qua peccaturus erat, & postea à peccato resurrecturus, potius quam aliam in qua nunquam erat peccaturus graviter, & tamen totidem gloriæ gradus promeriturus erat, respondeo, 1. nulla ratione Deum obligari potuisse ad eligendam secundam: cum etiam potuerit, non quidem ex intentione damnandi Petrum, quod divitiarum bonitatem dedeceret, sed ex intentione tantum conditionata illum salvandi, eligere aliquam, in qua peccaturus graviter, & à peccato nunquam resurrecturus fuisset. 2. Primam convenientissimè eligere potuisse, & elegisse, ut in peccatoris conversione, & salute procuranda, misericordiæ suæ divitiis magis ostenderet, magisque gratiæ suæ beneficia commendaret.

*Obj. 4.* Deus in Scripturis sæpè queritur, quod tam pauca, & tam remissa pietatis opera fiant ab hominibus, & hæc querela non solum in reprobos, sed etiam in prædestinatos cadit. Atqui si Deus omnia & singula pietatis opera prædestinatorum prædefinit, non potest nisi irrisoriè conqueri de paucitate & remissione operum pietatis, quæ fiunt à prædestinatis: quia si Deus omnia & singula pietatis opera prædestinatorum prædefinit, prædestinati faciunt omnia pietatis opera, quæ Deus vult ab illis fieri, & cum ea perfectione, qua vult ab illis fieri. Ergo, &c. R. n. seq. min. *Ad prob. R.* prædestinatos omnia quidem pietatis opera facere, quæ Deus efficaciter vult ab illis fieri, & cum ea perfectione, quæ ab illis fieri, & cum ea perfectione, quæ ab illis fieri: at plura alia, saltem regulariter loquendo, omittunt, quæ possent facere, & Deus sincerè vult ab illis fieri; aut ea, quæ faciunt, & à Deo prædefinita fuerunt, non tam perfectè faciunt, quam Deus sincerè vult ab illis fieri. Rarò enim contingit, ut etiam quando gratiæ consentimus, secundum totam virtutem gratiæ velimus & agamus, & ita rarò contingit, ut tantum perfectionis habeant nostra pietatis opera, quantum habere possent. Quod ut plenè intelligas, observa Deum prædestinatis ex voluntate partim efficaci & absoluta, partim conditionata tantum, sed tamen sincera ut tot gloriæ gradus promereantur, eligere eam mediorum salutis seriem, in qua non solum hæc specie & numero auxilia gratiæ congrua accepturi sunt, quibus certò & infallibiliter facturi sunt hæc specie & numero opera pietatis, (quamvis ordinariè non cum tanta perfectione, quanta possent) & faciendo tot saltem gradus gloriæ promerituri; sed etiam multa alia ad bene operandum idonea, licet non efficaci, quibuscumque, si vellet, multa opera salutaria facerent, & faciendo non solum majorem Deo gloriam intrinsecam procurarent, sed etiam meritum suum auferent, & augendo majorem sibi promerentur gloriam. Quæ cum opera non faciant, quia nolunt facere, justam Deo de illis conquerendi causam præbent.

## ARTICULUS V.

Utrum Deus prædestinatos elegerit ad gloriam ratione prius, quam eos prædestinarit.

## RESPONSIO.

Deus voluntate absoluta & efficaci voluit gloriam prædestinatis omnibus ratione prius, quam eos prædestinarit.

*Prob.* Electio mediorum, ut mediorum, supponit intentionem finis: media enim, ut media, non appetunt nisi propter finem præintentionem: proindeque electio mediorum, certò & infallibiliter connexorum cum assecutione finis, supponit absolutam & efficacem intentionem finis. Certè si media non appetunt, nec appeti possunt, nisi propter finem præintentionem, manifestum est ea non appeti, nisi secundum modum, quo finis præintenditur, sic ut non appetantur media certò & infallibiliter connexa

cum



cum fine, cognita ut talia, nisi quia absolute & efficaciter finis preintenditur. Atqui predestinatio est electio & preparatio mediorum salutis, certo & infallibiliter cum salute connexorum, facta ab aeterno pro iis, qui predestinati dicuntur. 1. Electio est & preparatio mediorum: est enim pars providentia, cuius est disponere & ordinare media ad finem. 2. Electio est & preparatio mediorum salutis: est enim ea providentia pars, qua in iis, qui re ipsa salvantur, ad finem vite aeternae transmittendis occupatur. 3. Electio est & preparatio mediorum salutis, certo & infallibiliter connexorum cum salute: est enim preparatio finalis perseverantiae, quam infallibiliter glorificationis subsequitur: unde describitur a S. Augustino preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Ergo predestinatio divina supponit in Deo pro iis omnibus, qui predestinati sunt, absolutam & efficacem intentionem salutis & gloriae. Ergo, quod idem est, Deus voluntate absoluta & efficaci voluit salutem & gloriam predestinatis omnibus ratione prius, quam eos predestinavit. Atqui haec voluntas, quatenus per eam Deus vult predestinatis bonum gloriae, dicitur & est dilectio; & quatenus vult illis potius quam non predestinatis, dicitur & est electio. Ergo predestinati ratione prius, quam predestinentur, diliguntur & eliguntur a Deo. Hoc argumentum est S. Thomae hic q. 23. a. 4. in O. ubi sic ait: *Predestinatio secundum rationem presupponit electionem, & electio dilectionem. Cujus ratio est, quia predestinatio est pars providentiae. Providentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, praecipua ordinationis aliorum in finem. Non autem praecipitur aliquid ordinandum in finem, nisi praesistente voluntate finis. Unde predestinatio aliorum in salutem aeternam, presupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem. Ad quod pertinet electio, & dilectio. Dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis aeternae: nam diligere est velle alicui bonum. Electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus pra aliis vult; cum quosdam reprobat.*

Hanc porro predestinatorum electionem ad gloriam plane gratuitam esse, liquet ex dictis de predestinatione. Cum enim ratione praecedat predestinationem, certe si predestinatio nullam habet causam ex parte predestinatorum, ipsa a fortiori nullam habet ex parte electorum. Hanc gratuitam predestinatorum electionem ad gloriam videtur Christus aperte tradere, Luc. c. 12. his verbis: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Christus enim hic loquitur, 1. de voluntate dandi gloriam: nam nomine regni gloriam intelligit. 2. De voluntate absoluta & efficaci, quo effectu suo carere non potest, proindeque omnem, si sit nota, oppositi formidinem debet expungere. Unde dicit, *Nolite timere.* 3. De voluntate gratuita, ut patet ex his vocibus, *Complacuit Patri vestro*, quae specialem Dei benevolentiam aperte significant. 4. De voluntate dandi gloriam predestinatis, quos vocat pusillum gregem, quia quamvis absolute sint in magno, imò in maximo numero; pauci tamen verè sunt, in comparatione eorum, qui pereunt. Eandem gratuitam predestinatorum electionem ad gloriam probabilissimè docet Apostolus Rom. c. 8. cum ait: *Quos praescivit, & predestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Probabilissimum enim est, eum nomine praescientiae hic intelligere electionem & dilectionem, quae ratione praecedat predestinationem. Post Apostolum verò aperte docuit S. Augustinus lib. de corr. & grat. c. 7. ubi in haec Christi verba, *Multi vocati, pauci vero electi*, sic loquitur: *Illi electi, qui secundum propositum vocati, qui etiam predestinati atque praesciti (vides eum loqui de electione distincta à predestinatione) .... Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus, cui congruebat .... illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem*

*nem suum. Merito sequitur vox, Ad regnum electorum: si Deus pro nobis, quis contra nos? S. Augustino clarè suffragatur S. Thomas hic ad 3. Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobat, non habet rationem, nisi divinam voluntatem: nullam igitur habet rationem ex parte eorum, qui sunt electi, & consequenter predestinatorum electio ad gloriam, ea scilicet vi cuius predestinavit, quocumque predestinavit, est omnino gratuita, utpotè, sicut loquitur Augustinus, facta per misericordiam. Aliorum Scripturae, tum Augustini & aliorum, qui post illum scripserunt, Patrum textus hic praetermitto, quia de sola gratuita predestinatione possunt intelligi, & explicari. Sed*

*Quaeres, quantam certitudinem habeat haec gratuita predestinatorum electio ad gloriam? R. habere saltem certitudinem theologiam. Quod facilè ostenditur ex dictis. Nam illud habet certitudinem theologiam, quod evidenter deducitur vel ex duabus propositionibus revelatis, & quas constat esse revelatas, vel saltem ex una praemissa, quam constat esse revelatam, & ex altera naturaliter evidenti. Atqui quòd Deus predestinatos gratuito elegerit ad gloriam evidenter deducitur ex una praemissa, quam constat esse revelatam, & ex altera, quae naturalem habet evidentiam. Ergo, &c. Minor probatur hoc syllogismo. Gratuita predestinatio supponit gratuitam electionem ad gloriam. Atqui datur gratuita predestinatio. Ergo datur gratuita electio ad gloriam. Idem erit, si dicas: Si Deus gratuito aliquos predestinavit, eos ratione prius gratuito elegerit ad gloriam, quam predestinaret. Atqui Deus eos omnes, qui re ipsa glorificantur, gratuito predestinavit. Ergo eos omnes, qui re ipsa glorificantur, Deus gratuito elegerit ad gloriam. In utroque syllogismo Minor est de fide, ut superius accuratè ostensum est. Major verò habet evidentiam naturalem, ut patet ex dictis in probatione assertionis. Ergo, &c.*

Hanc gratuitam predestinatorum electionem ad gloriam negantibus, unicum superesse potest effugium, nempe si dicant iis, qui re ipsa salvantur, gratuito quidem preparata esse media salutis, cum ipsa salute certo & infallibiliter connexa, at non ut talia, sed tantum ut idonea esse preparata; proindeque hanc mediorum salutis preparationem, pro iis, qui re ipsa salvantur, factam, non supponere electionem, seu voluntatem absolutam & efficacem iis pra aliis dandi gloriam, sed solum conditionatam voluntatem, quam Deus etiam habet respectu eorum, quibus non preparavit media cum salute connexa, sed idonea tantum, & ad assequendam salutem, si iis uti voluerint, sufficientia. Unde ulterius sequitur nullam in Deo dari electionem ad gloriam, seu voluntatem absolutam & efficacem dandi gloriam unis potius quam aliis, nisi ratione posterius ad absolutam provisionem uniuscujusque meritorum vel demeritorum, & perseverantiae vel impenitentiae finalis. Sed

Haec doctrina facilè exploditur. Nam 1. scimus Deum iis omnibus, qui salvantur, preparasse media cum salute connexa, cognita ut talia, cum potuisset preparare idonea tantum & purè sufficientia; è contra iis omnibus, qui damnantur, preparasse solum idonea & purè sufficientia, cum potuisset preparare cum salute connexa, cognita ut talia. Quid autem rationi consonum magis est, quam dicere Deum primis preparasse media, quibuscumque praevidebat eos certissime salvandos, quia absolute & efficaciter voluit eos salvari, & ita iis preparasse media illa, ut cum illis certo & infallibiliter salvarentur: ceteris verò media preparasse, quibuscumque cognovit illos posse quidem salvari, sed tamen sua culpa non esse salvandos, quia illos salvari voluit voluntate, non absoluta & efficaci, sed conditionata tantum; & idcirco non illis preparasse media, quibuscumque, si ea acciperent, non solum possent salvari, sed etiam re ipsa salvarentur, non quia noluit, sed quia non absolute & efficaciter voluit illos salvari; vel, ut cum Apostolo loquar, quia noluit illorum, sicut aliorum, misereri, ut ostenderet



deret & commendaret magis divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam. Quæro igitur ab adversariis, unde habeant suam illam præcisionem, nempe quòd Deus aliis preparando media cum salute connexa, aliis verò non preparatis, quibus preparavit, non ut cum salute connexa, sed præcisè ut ad salutem assequendam idonea preparavit: eum nullum hujus præcisionis sive in Scriptura, sive in Traditione reperitur vestigium; cum Patribus gratiæ defensoribus, & Novatoribus gratiæ inimicis pariter ignora fuerit; cum neque necessaria sit ad tuendam in Deo sinceram salvandi omnes homines voluntatem, aut servandam in electis liberum voluntatis arbitrium, neque utilis esse possit ad compescendas reproborum querelas. Et verò num Deus reprobis de gratiarum inæqualitate expostulantibus satisfaceret, respondendo se electis quidem media cum salute connexa preparasse, sed ea præcisè ut idonea intendisse? Ludicra responsio! Denique hæc præcisio & affectum Dei erga electos minuit, & tamen nihilo plus ad salutem adjumenti reprobis addit, nec valet ad sedandos terrores animos, aut promovendum virtutum studium, aut impediendam desperationem, aut fovendam salutis curam. Et verò num hominis de prædestinationis mysterio trepidantis animus quiescet, & ad studium virtutum, curamque salutis suscipiendam accendetur magis, audiendo Deum quidem certis tantum hominibus preparasse media cum salute connexa, cæteris verò non preparasse, nisi merè sufficientia, quibuscum salvari possent, & tamen certissimè non salvantur; sed quibus media cum salute connexa preparavit, quique proinde salvantur, & soli certissimè salvantur, preparasse præcisè ut idonea?

2. Doctrina adversariorum apertè contradicit Apostolo perpetuò extollenti & commendanti specialem Dei erga eos omnes, qui salvantur, benevolentiam, quam manifestè adversarii cum sua præcisione elevant. Præterea, vocabula illa, propositum, electio, prædestinatio, quibus exprimit præparationem mediocum, quibus Deus in salutem æternam electos suos dirigit in tempore, apertè significant media illa à Deo preparata fuisse ut efficacia, & cum salute electorum connexa: apertè enim significant specialissimum quendam Dei benevolentiam & misericordiam affectum erga electos, quos proinde idem Apostolus vocat vasa misericordiam, in quæ divitias gratiæ suæ largiter effudit. 3. Apertè repugnat Traditioni: nam ex unanimi Patrum consensu constat omnes actus salutares prædestinationum esse dona Dei, ac proinde fuisse à Deo prædestinitos. Eatenus enim sunt dona Dei, seu eatenus donantur à Deo, quatenus Deus ex efficaci intentione, ut fiant, preparat voluntatem prædestinationum, quomodo ei congruit, ut illos faciat, & consequenter quatenus Deus ab æterno voluit efficaciter, illos fieri in tempore, & in hunc finem præordinavit media congrua ut talia. 4. Denique, collectio mediocum, quæ Deus preparavit iis omnibus, qui salvantur, includit perseverantiam finalem, ratione cujus certò & infallibiliter connexa est cum salute. At evidentè absurdum est dicere perseverantiam finalem non fuisse à Deo preparatam, nisi ut medium ad assequendam salutem idoneum: evidens enim est hanc adversariorum præcisionem ad summum locum habere posse in auxiliis gratiæ actualis, quibus potest voluntas nostra consentire vel dissentire, & ita bene vel malè uti pro arbitrio. Ergo non sine evidenti absurditate dici potest, collectionem mediocum iis omnibus, qui salvantur, preparatam, & cum salute certò & infallibiliter connexam, non fuisse preparatam ut talem, sed præcisè ut sufficientem ad assequendam salutem. Ex quo adhuc sic argumentor breviter. Prædestinatio est gratuita preparatio perseverantiæ finalis; nam, ut fides docet, perseverantiæ finalis est donum Dei, & cum divinis ad salutem prædestinationum pertinentibus beneficiis coronidem imponat, non potest non esse præcipuus prædestinationis effectus. Atqui perseverantiæ finalis non fuit à Deo preparata præcisè ut medium ad assequendam

salutem sufficiens. Ergo prædestinatio est gratuita preparatio perseverantiæ finalis, tanquam mediū cum assecutione salutis certò & infallibiliter connexi. Ergo prædestinatio supponit in Deo absolutam & efficacem voluntatem dandi gloriam prædestinatis. Ergo supponit in Deo gratuitam prædestinationum electionem ad gloriam.

*At inquit.* Quare hanc gratuitam prædestinationum electionem ad gloriam non defendimus ut dogma fidei? *R.* Quamvis hæc electio evidentem cum prædestinationis dogmate connexionem habeat, imò de veritate à Deo revelatarum numero esse, facillè credamus, non eam tamen defendimus ut dogma fidei, tum quia adhuc à multis Doctores Catholicis sine nota hæresis impugnatur, tum quia ex Traditione, cujus est verum Scripturæ sensum nobis aperire, non satis nobis constat, illam ut veritatem à Deo revelatam fide divina tenendam, nec reperimus illam à Patribus, qui contra inimicos gratiæ pro prædestinationis dogmate pugnantur, ut fidei dogma esse propugnatam. Solum ergo dicimus esse veritatem theologice certam propter evidentem, quam habet cum dogmate fidei connexionem. Hoc autem dogma fidei est, quòd detur ab æterno in mente divina præscientia & preparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur; hoc est, quòd Deus iis omnibus, qui salvantur, & non aliis, ab æterno, quia voluit, & ex pura misericordia, aut saltem ex pura liberalitate disposuit & præordinavit media, quibus eos in tempore certò & infallibiliter dirigit in finem vitæ æternæ. Quam dispositionem & præordinationem, quia evidens nobis est, esse mediocum cum salute connexorum ut talium, dicimus evidentè præsupponere voluntatem absolutam & efficacem gloriæ, & sic evidentè præsupponere gratuitam eorum omnium, qui salvantur, electionem ad gloriam, quam proinde censemus certam esse certitudine theologica. Sed ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ sequentibus Articulis responsuri sumus ad objectiones adversariorum.

Accipe ordinem actuum divinorum ad prædestinationum salutem pertinentium. 1. Itaque Deus per scientiam simplicis intelligentiæ vidit, quid quilibet homines possibiles possent facere vel non facere; & per scientiam futuribilium, quid re ipsa facturi vel non facturi essent sub quacumque conditione possibili, & in quibuscumque circumstantiis possibilibus.

2. Voluit creare naturam humanam, eamque ad statum supernaturalem elevare, hoc est, ordinare ad finem supernaturalem, qui in clara visione & amore Dei, aliisque actibus & dotibus beatificis consistit.

3. Ex sincera, sed tamen conditionata homines ad hunc supernaturalem finem perducendi intentione, voluit condere primum hominem in eo statu in quo non solum instrueretur habitibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis, aliarumque virtutum infusarum, sed etiam dono integritatis frueretur, quo corpus perfectè subiceretur animæ, & appetitus sensitivus rationali: voluit etiam primum illum hominem, tot & tantis exornandum dotibus & donis, constituere caput morale totius humani generis, ipsumque pro omnibus ab eo per viam naturalem descensuram apud se voluit legati vices agere in observando vel transgrediendo præcepto de non comedendo certo fructu: ita ut quicquid quoad hoc faceret, censeretur illi facere, & sic censeretur transgredi præceptum, ipso transgrediente, & è contra præceptum observare, ipso observante. Unde ipso præceptum constanter observante, omnes justitia originali digni futuri erant, & in ea nascituri: ipso verò transgrediente præceptum, demerituri erant originalem justitiam, & ea justè privati, nascituri peccatores, & filii iræ, propter culpam parentis, eos à primo instanti animationis, secluso speciali privilegio, infecturam.

4. Deus absolute previdit Adami, & in Adamo totius humani generis lapsum.

5. Ex voluntate absoluta & efficaci genus humanum



num cum capite suo redimendi, decrevit incarnationem, & Christi merita omnia, in primisque passionem ejus prædeterminavit.

6. Christum & ejus merita absolutè prævidit.

7. Propter merita Christi absolutè prævisa, absolutè & efficaciter decrevit certum & definitum non solum formaliter, sed etiam materialiter hominum numerum à massa perditionis separare, tot scilicet determinatè & in particulari homines ad gloriam eligendo, seu volendo absolutè & efficaciter gloriam tot determinatè & in particulari hominibus præ cæteris omnibus, quos idcirco in massa perditionis reliquit, non quod pro eo signo positivè voluerit eos assequi gloriam, sed quod illis pro eo signo gloriam voluerit voluntate conditionata tantum.

8. Electos prædestinavit, hoc est, electis ex absoluta & efficaci voluntate salutis eorum in mente sua disposuit, & præordinavit media salutis efficacia, & cum ipsa salute certè & infallibiliter connexa; vel, si vis, electorum, quia elegit eos ad gloriam, justificationem & perseverantiam finalem, insuper & pro iis, qui non nisi post adultam æternam morituri erant, bona merita, hoc est, fidem & alia pietatis opera determinatè & in particulari prædestinavit & præparavit.

9. Decrevit media illa exequi.

10. Absolutè prævidit prædestinatorum ante adultam æternam morientium finem in statu gratiæ per baptismum vel martyrium acceptæ; item prædestinatorum post adultam æternam morientium bona merita cum perseverantia finali.

11. Parvulis gloriam ut hæreditatem, adultis etiam ut mercedem & coronam propter bona merita absolutè prævisa decrevit, illisque decernendo præ aliis, quorum malam mortem prævidit, illos elegit ad gloriam electione illa, quæ remuneratoria est, & consequenter supponit in eo, qui eligitur, disparitatem & distantiam ab eo, qui rejicitur, hoc est, dignitatem in eo, qui eligitur, & indignitatem in eo, qui rejicitur.

## ARTICULUS VI.

*Solvuntur objectiones à Scriptura & Patribus petite.*

**O**bj. 1. Christus Math. c. 25. sic alloquitur electos: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis, &c.* Quibus verbis Christus significat regnum gloriæ electis præparatum ab æterno fuisse propter bona merita absolutè prævisa. Ergo regnum gloriæ non fuit ab æterno præparatum electis gratis, & ante bonorum operum absolutam prævisionem. R. C. ant. & N. conseq. Nam regnum gloriæ fuit ab æterno præparatum electis ante & post absolutam prævisionem meritorum. Duplex igitur in Deo circa electos datur voluntas absoluta & efficax gloriæ. Prima pertinet ad ordinem intentionis, & de ea Christus Luc. cap. 12. loquitur, cum ait: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Sic autem potest exprimi: Volo absolutè & efficaciter, ut tales regnum gloriæ consequantur per merita. Secunda, de qua Christus loquitur Math. c. 25. verbis laudatis, pertinet ad ordinem executionis, & sic exprimi potest: Volo absolutè & efficaciter regnum gloriæ talibus dare propter merita. Prima fertur in gloriam ut finem ab electis obtinendum per merita prædestinanda; vel, si vis, fertur in gloriam ut finem electis à Deo procurandum per bona ipsorum merita, quæ idcirco in instanti rationis subsequenti prædestinuntur, & præparantur à Deo. Secunda fertur in gloriam ut mercedem electis debitam, & retribuendam propter bona illorum merita jam prædestinata & absolutè futura. Prima planè gratuita est, quia virtualiter prior est prioritate naturæ, quam prædestinatio bonorum operum, & à fortiori quam bonorum operum absoluta futuritio, eorumque absoluta prævisio. Secunda non est gratuita, sed remuneratoria; nam virtualiter

præsupponit absolutam futuritionem bonorum operum, eorumque prævisionem absolutam, à qua virtualiter caulatur. Prima, ut est voluntas dandi gloriam his præ illis, dicitur & est electio gratiæ. Secunda verò, ut est voluntas retribuendi gloriam his potius quam illis, dicitur & est electio debiti seu meriti, electio remuneratoria. Prima Deum determinat ad præparanda & prædestinanda bona merita in æternitate, eaque donanda in tempore cum perseverantia finali. Secunda determinat Deum ad dandam in tempore gloriam ut præmium & coronam propter bona merita, à se donata, & per finalem perseverantiam consummata. Ambæ autem ita sunt inter se connexæ, ut neutra possit esse sine altera. Prima enim absolutè infert secundam, & hæc absolutè præsupponit illam.

*Dices.* Christus eodem illo loco, quo dicit electis: *Venite benedicti Patris mei, &c.* simili verborum tenore dicit reprobus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* At qui Christus sic loquendo, significat ignem æternum non fuisse præparatum reprobus, nisi propter mala merita. Ergo similiter cum ait electis, *Venite, &c.* significat gloriam illis non præparatam fuisse, nisi propter bona merita. R. Esto assumptum. Nam Christus hoc potius supponit, quam significat. N. conf. Disparitas est, quia 1. æquitas sententiæ, quam Christus fert contra reprobos, postulat ut supplicium ignis æterni non fuerit illis præparatum, nisi post absolutam demeritorum prævisionem, nec demerita illa fuerint à Deo prædestinata & præparata. Ad æquitatem verò sententiæ pro electis ferenda, satis est, si gloriam re ipsa mereantur, eaque velut corona digni sint propter bona merita, & ita gloria non nisi propter bona merita absolutè prævisa fuerit illis præparata tanquam merces & corona. 2. Deus præter voluntatem damnandi reprobos propter eorum demerita absolutè prævisa, non potest habere aliam rationem priorem, qua velit eos incurrere damnationem æternam propter demerita à se prædestinanda & præparanda. Hæc enim voluntas cadere non potest in Deum, qui nihil eorum, quæ fecit, potest antecedenter odisse, quia summè bonus est, & nullum, nisi de suo merentem, poena afficere, quia summè justus est. At præter voluntatem dandi gloriam ut mercedem & coronam electis propter eorum bona merita absolutè prævisa, potest etiam aliam habere rationem priorem, qua velit ut gloriam tanquam mercedem & coronam consequantur per bona merita à se prædestinanda & præparanda gratuito & misericorditer. Hæc enim voluntas Deum summè bonum & misericordem maxime decet, & nemini aliunde injuriola est: non ipsis electis, quos maximo beneficio afficit; nec reprobus, quibus non debetur, nec subtrahit media ad salutem assequendam idonea & sufficientia. Imò verò ex hypothese quòd sit in Deo voluntas dandi gloriam electis ut mercedem & coronam propter eorum bona merita absolutè prævisa, non potest quoque non esse in eo alia virtualiter prior, qua gratuito & ex pura misericordia voluit ut electi mererentur gloriam per bona merita à se gratuito & misericorditer prædestinanda. Cum enim bona electorum merita sint etiam, nec possint non esse dona Dei, & ita bona merita, quibus gloria tanquam merces & corona retribuitur, nec habeant, nec habere possint electi, nisi donentur à Deo, neque donentur aut donari possint à Deo, nisi ab eo gratuito & misericorditer prædestinata fuerint: nihil enim Deus donat aut donare potest in tempore, nisi quod gratuito & misericorditer ab æterno disposuit & præparavit in sua prædestinatione, ut perpetuè docet S. Augustinus, & per se manifestum est: electi bona merita, quibus gloria ut merces & corona retribuetur, non sunt habituri, nec proinde habituros prævidit Deus, & ex tali prævisione gloriam ut mercedem & coronam illis præparat, nisi quia virtualiter prius gratuito & misericorditer voluit ut gloriam consequerentur per bona